UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ Theologiæ summa continetur

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare de latere viri formata est mulier. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Visual Library

ſuccurrerint legitima. Hoc a. non ita intelligendum eſt, tanquam ſine enumeratis non poſsit eſſe legitimum coniugium: ſed quia ſine illis non habet decorẽ, & honeſtatem debitam. In huius enim ſacramenti celebratione, ſicut in aliis quædã ſunt pertinentia ad ſubſtantiam ſacramẽti, vt conſenſus de præſenti, qui ſolus ſufficit ad contrahẽdum matrimonium: quædam vero pertinentia ad decorem & ſolennitatem ſacramenti, vt parentum traditio, ſacerdotum benedictio, & huiuſmodi, ſine quibus legitimè fit coniugium, quantum ad virtutem, non quantum ad honeſtatẽ ſacramenti. Sine his ergo non quaſi legitimi coniuges, ſed quaſi adulteri vel fornicatores conueniunt vt illi qui clanculo nubunt & vtiq; fornicatores eſſent, niſi eis ſuffragaretur voluntas verbis expreſſa de præſenti, quæ legitimum inter eos facit matrimonium. Nam & conſenſus occultus de præſenti per verba expreſſus, coniugium facit, licet non ſit ita honeſt⁹ contractus: ſed matrimonium non ſanxit conſenſus, qui in occulto fuit. Si n. alter alterum dimiſerit, non cogitur iudicio Eccleſiæ redire, & commanere quaſi cum coniuge: quia non poteſt probari teſtib. contractus qui in occulto eſt factus. Quod ſi ipſi qui in occulto ſibi conſenſerunt, eundem conſenſum voluntariè in manifeſto profiteantur, tunc vtiq; propria voluntas ſuffragatur, & legitima vota ſuccurrunt ad ſanciendum coniugium, quod prius occultè fuerat contractum. Voluntas ergo verbis expreſſa in occulto ad hoc ſuffragatur, vt fiat coniugium: manifeſtè vero expreſſa ſuffragatur, vt ſanciat & roboret, ac liberum ſit Eccleſiæ de hoc iudicare ſi expedierit.

De qua res ſit conſenſus ille: An de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.

Aug. lib. de ſancta vir- Hic quæritur. Cum conſenſus de præſenti matrimonium faciat, cuius rei conſenſus ſit ille: An carna-

carnalis copulæ, an cohabitationis, an vtriuſq;? Si cohabitationis conſenſus matrimoniū facit, tunc frater cum ſorore, pater cum filia poteſt contrahere matrimonium. Si carnalis copulę: tunc inter Mariam & Ioſeph non fuit coniugium. Propoſuerat enim Maria in virginitate manere, niſi Deus aliter facere iuberet, ſecundum quod videtur angelo dixiſſe. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco, i. me non cognituram ꝓpoſui. Neq; n. quia virum tunc non cognoſcebat, neceſſe erat inquiri quomodo poſſet habere filium: ſed quia ſe nunquam cognituram propoſuerat. Dicit n. Beda, quod in virginitate manere diſpoſuerat. Si ergo contra ſuum propoſitum poſt conſenſit in carnalem copulam, videtur facta voti rea, mente, etſi non opere violata: Dicamus ergo, quod conſenſus cohabitationis vel carnalis copulæ non facit coniugium: ſed conſenſus cōiugalis ſocietatis, verbis ſecundum præſens tempus expreſſus: vt cum vir dicit. Ego accipio te in meam, non Dominam, non ancillam, ſed cōiugem. Quia enim non ancilla vel Domina datur, ideo nec de ſummo, nec de imò à principio formata eſt, ſed de latere viri, ob cōiugalem ſocietatem. Si de ſummo fieret, vt de capite, videretur ad Dominationē creata: Si vero de imo vt de pedibus, videretur ad ſeruitutē ſubiiciēda. Sed quia nec in Dominam, nec in ancillam aſſumitur, facta eſt de medio, i. de latere, quia ad coniugalem ſocietatē aſſumitur. Cum ergo ſic conueniunt, vt dicat vir. Accipio te in meam coniugem: & dicat mulier, Accipio te in meum virum: his verbis vel aliis idem ſignificantibus exprimitur conſenſus, non copulæ carnalis vel cohabitationis corporalis: ſed coniugalis ſocietatis: ex qua oportet eos cohabitare, niſi fortè cauſa religionis pari voto corporaliter ſeparentur vel ad tempus, vel vſque in finem.

ginitate, c. 4. in principio, tom. 6.

Lucæ 1. d

Beda ad illud Luc. c. 1. Quomodo fiet.